



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita B. P. Ignatii Qui Religionem Clericorum Societatis lesv instituit

Ribadeneyra, Pedro de

Ipris Flandrorum, 1612

23. Sanctorum virorum, Regum Principumque de B. Ignatio testimonia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45048

CAPVT. XXIII.

Sanctorum virorum, Regum Principumque de B. Ignatio testimonia.

PAullò copiosiores fuimus in vita N. B. P. Ignatij, cuius maiorem necessitudine contubernij cognitionem hausimus. Quidquid enim dictum est, exiguum est pro multitudine earum rerum quæ dici possent. Quia verò nondum in Diuorum numerum adscriptus est, nec à Sede Apostolica toti Ecclesiæ colendus & inuocandus proponitur, vt alij quorum vitam scripsimus, necessarium visum fuit commemorare potissima, quædam miracula aliasque res quarum nulla in vitis reliquorum Sanctorum facta sit mentio. Certum tamen est nos præterire permulta, quòd hæc pro eo quod in hoc opere intendimus, satis esse videantur, Deum inquam laudare, qui eum sanctum fecit, virtutes eius ad imitandum proponere, & patefacere ignaris, vt huius viri sanctitatem veneratione & colant. Quamobrem antequam

quam huic narrationi finem imponam, illud adiungam, nimirum hunc B. Patrem ut sanctus fuit in vita, ita sanctum habitum, eique reuerentiam & honorem tributum ab omnibus qui cum illo versabantur, multoque magis ab iis quibuscum maior ei erat familiaritas, propterea quod multo clarius admirabiles eius virtutes cernerent, & veluti manu tangerent donorum & gratiarum magnitudinem quæ Deus in eum contulerat.

P. Franciscus Xauerus vir Apostolicus & singulari virtute, quo administro Deus tot ac tanta perfecit miracula, qui infinitos homines in tenebris ignorantia veri Dei iacentes, ad veritatis lumen adduxit, ita colebat, ita venerabatur Ignatium, ut eius autographum nomen gestaret in sinu, quo tanquam fortissimo quodam clypeo aduersus omne periculorum genus tutus esset, & ex India genibus nixus litteras ad eum scriberet. P. Petrus Faber primus ei in constituenda Societate adiutor & socius, vir planè mirabilis & incredibili diuinitus luce perfusus

fusus proponebat eum sibi ac aliis exemplar sanctitatis omniumque virtutum.

P. Iacobus Laynes secundus Generalis Societatis magister, vir ea doctrina & pietate quæ nota esset omnibus, mihi dicere solebat; Deum certamentem animum P. Ignatij, eius ornamenti mirificè delectari, eamque ob causam tantis muneribus ac beneficiis eius filios prosequi.

P. Franciscus Borgia qui tertius universam Societatem administravit, vir in hisce Regnis amplitudine notissimus, & sua virtute celebrior, anno MDCL. Romam profectus est ob id maximè ut B. Ignatium videret, & in eius congressum & colloquium sese penitus daret. Cumque primis sacris operaretur, fecit autem id in domo Loyolæ, solum eius cubiculi deosculatus est, in quo B. Pater natus fuerat, pro ea reuerentia qua in hunc sanctum mouebatur. Similiter afficiebantur omnes qui cum illo familiariter agitant. Nec domesticorum solum, sed etiam externorum idem erat de eius integris

integritate iudicium, eademque veneratio.

Paulus III. Pont. Max. qui primus Societatem confirmavit, de huius consilio multa magni momenti decrevit. Inter cetera sacrum Inquisitorum collegium Romæ constituit, in illudque quattuor ex ordine patrum purpuratorum cooptavit auctoritate prudentiaque præcellentes, qui in illo tribunali iudiciis quæstionum fidei præfiderent. Julius III. P. Petrum Canisium Viennensem Episcopum facere vel Ferdinando Rege Romanorum multum flagitante nunquam voluit, quia id minimè probaretur Ignatio.

Marcellus II. qui Iulio successit dicebat in negotiis Societatis auctoritatem solius Ignatij apud se gravio-rem esse, quàm omnes rationes, quæ ex aduerso possent afferri.

Paulus IV. cuius in pontificatu noster hic decessit è vita, tantum ei honorem habuit, vt eum ad pedes suos demissum inter loquendum excitaret, caputque contegere vellet. Gregorius XIII. in diplomatis anno CIO. IO.

LXXXIII.

LXXXII. & CIO. IO. LXXXIII. scriptis
ad stabiliendum & defendendum in-
stitutum Societatis disertè dicit, Spi-
ritum Sanctum iniecisse mentem Ig-
natio ad constituendam Societatem
eique instituti formam tradidisse. Hoc
etiam adiungit, vniuersam Rempubli-
cam Christianam refici & recreari
per filios ipsius Societatis. Denique
tam Gregorius quàm qui Gregorium
antecefferunt Pius IV. & Pius V. la-
bores Societatis tantis efferunt laudi-
bus, & fructus quos Deus inde colle-
git colligitque in dies, vt modestia
eos hoc loco suadeat prætermitti. Sed
hi tamen fructus diuina virtute ab Ig-
natio tanquam à radice prodire.

Ferdinandus Romanorum Rex, de
quo iam diximus, præter ea collegia
quæ Societati ædificauit, aliaque mul-
ta beneficia quibus eam propter Igna-
tium affecit, cum vehementer incum-
beret ad creandum Claudium Iaium
vnum è decem primis Ignatij sociis
Triestensem Episcopum, ab incepto
destitit simul ac intellexit id Ignatio
non probari.

Ioannes III. Lusitaniæ Rex pro sua pietate qua erat in Ignatium anno CIO. IO. LIII. P. Ludouico Gonsali de Camera Romam è Lusitania proficiscenti præcepit, vt diligenter intueretur & attentè consideraret mores & actiones eius, & ad se singula quæque accuratè perscriberet. Profectus est, mandata Principis diligenter curauit, scripsitque quidquid de negotio sibi commisso dici posset, illud esse, nulla se vel lectione diuinarum rerum, vel oratione ad amorem Dei tantum accendi, quantum intuendo & spectando diligenter Ignatio.

Gaspar Quiroga Cardinalis & Archiepiscopus Toletanus ac Generalis Hispaniarum inquisitor, qui Romæ Patris amatissimus fuerat, virum perfectissimum fuisse testatus est, demissum, suauem, patientem, contemptorem rerum humanarum, studiosum diuinæ gloriæ & salutis animarum, nunquam turbari, nec rebus secundis efferi, nec aduersis deprimi. Gabriel Paleotus Cardinalis & Episcopus Bononiensis eum appellat lumen ecclesiæ, atque impulsu

impulsu diuino instituisse Societatem ad excitandam & confirmandam ecclesiasticam disciplinam.

Albertus Bauariæ dux eidem fuit mirificè deditus, ad eum sæpe litteras dedit, eique vt sancto reuerentiam exhibuit: propter eum Societatem amauit, eique fauit, vt omnes eius filij, quos nõ minus paternæ pietatis quàm amplitudinis hæreditates secutæ sunt.

Ioannes Vega præses Castellæ dum Caroli V. Cæsaris Romæ legationem obiret, B. P. amicitia coniunctissimus fuit, atque in iis litteris quas eo mortuo scripsit ad Societatem, eum beatum & sanctum ducem appellat, dignumque cuius signum in cælo cum vexillis SS. Dominici ac Francisci poneretur.

P. Ioannes Auila concionator Apostolicus, cuius vitam scripsit P. Ludouicus Granatensis auctor egregius, pro sua animi demissione P. Ignatium gigantem, seque cum eo collatum puzmilionem esse dicebat. Idem P. Ludouicus de hoc verba faciens admiratione se obstupefactum dicit intuen-

tem vitam, heroicas & admirabiles virtutes huiusce noui speculi virtutum & prudentiæ, quod Deus hoc nostro tempore pro salute infinitorum hominum misit. Hæc enim sunt eius verba. Idem pariter alij multi sapientes ac prudentes sentiunt: idem pluri mi variarum nationum auctores, qui suum hac de re testimonium scripserunt, ac de eo vt de sancto mentionem inferunt.

In hoc numero est P. Laurentius Surius natione Germanus, qui huius vitæ summam attigit. In eodem Ioannes Molanus Belga, qui beatissimum nominat. In eodem Genebrardus Galus, qui à Deo contra Lutherum missum affirmat. Denique Docteur Sanderus Anglus, qui hominem diuinum vocat, & auctore atque impulsore Deo fecisse quod fecit. Thomas Bozcius propter vitæ sanctitatem illustrissimum appellat. Paulus Morgi ordinis Gestanorum, Angelus item de Paz Minorum, Mambrinus Rosa omnes Itali scriptores honorificè de huius B. Patris vita prædicant. Idem litteris mandarunt

les
cu-
o-
m
us
na
ri-
ui
e-
m
is
is
l-
n
l-
f-
a
n
e
e
e

darunt Gonsales Iglefus, Magister Alfonso Villega, & Stephanus Garibai nostri temporis Hispani scriptores, eumque benedictum vocant, beatum & sanctum. Doctor Iacobus Paiua Lusitanus, qui pro doctore Theologo Regis sui, Concilio Tridentino interfuit, illustrem nominat, exemplum sanctitatis, admirabilem virum mortalibus singulari beneficio datum.

Verum si coniciamus oculos in Reges & principes qui sanctissimum D.N. Clementem *ix.* hodie in cathedra B. Petri sedentem rogarunt, ut eum qui suo iudicio sanctus erat, in numerum sanctorum referret, videbimus summos & potentissimos orbis Christiani principes id supplicare & vehementer flagitare. Etenim Rodolphus *ix.* Imperator, eiusque mater Augusta Maria Austriaca, Philippus *ii.* Rex Catholicus, cuius gratissimam memoriam retinemus, Philippus *iii.* eius filius qui nunc regni clauum tenet, Margarita Regina, Guilielmus Bauariæ dux, eiusque soror archidux Maria, litteras ad Pontificem dede-

runt, in quibus eum beatum & sanctum Patrem nominant, è cuius integerrima & innocentissima vita tanquam fonte flumen multorum donorum ac munerum manans laetificauit ciuitatem Dei. Nec hi solùm aliique magni principes suam pietatem ac beneuolentiam in Patrem hoc officij genere testificati sunt, sed ipsa etiam Regna, hoc est supremæ regnorum Castellæ & Aragoniæ curiæ, principatus Catalauniæ, horumque proreges ac præfecti: Ecclesia Toletana, Hispanensis, Granatensis: vrbs Cæsaraugusta, Valentia, Barcinona, Cantabria prouincia in qua Pater est natus, aliique complures Episcopi, duces ac domini: idque vulgò sentiunt omnes sapientes omniumque populorum Catholici animi perturbatione vacui, nec prauis opinionibus imbuti. Vnum genus infestum aduersumque est eorum, qui ad hostes ecclesiæ defecerunt, qui in id vnum incumbunt, vt de eius fama detrahant, scribant etiam libros in quibus & eius vitam & vniuersum eius ordinem crimentur. In hoc numero est

est Calvinianæ sectæ colluione notatissimus Simó Litus Missenus, qui quinque libros edidit cōtra alios quinque, quos de B. Ignatij vita in vulgus emisimus. Qui mea sententia non minus valent ad arguendam huius sanctitatem, quàm præclara de eius virtute tot ac tantorum virorum testimonia quos diximus. Sicut enim magnæ laudis est à bonis laudari: sic non minoris ab improbis vituperari, vt ait D. Hieronymus scribens ad B. Augustinum: Catholici, inquit, te conditorem antiquæ rursus fidei venerantur atque suspiciunt, &, quod signum maioris gloriæ est, omnes hæretici detestantur, & me pari persequuntur odio, vt quos gladiis nequeunt, voto interficiant.

Lib. 7.
episto-
la.
epist.
57.

F I N I S.

AD MAIOREM DEI GLORIAM.